



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

1. Cùm aliàs ad &c. Damnatio Libri Parisiis anno 1697. impressi, cui
titulus, Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure &c. anno
1699.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO
1690.

troversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci ullatenus posse; Sed ipsas presentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. Ecclesie Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacunque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, Generalibus vel Specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de Jure quæsito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, & Municipalibus, nec non quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, & literis Apostolicis quibuscunque locis, & personis, etiam regali, & aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requireribus, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, & pluries iteratis, & quantiscunque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum & gentium in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram sub annulo Piscatoris die quarta Augusti 1690. Pontificatus nostri anno primo.

BREVE ejusdem Pontificis ad LUDOVICUM Francorum Regem.

Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

ALEXANDER PP. VIII.

Charissime in Christo Fili noster, Salutem &c.

Cum in summopere metuendo mortalis hujus vitæ confinio constituti, de reddenda Judici districto & pulsanti, demandatæ nobis in Ecclesia Dei supremæ administrationis ratione serrio cogitemus, nostrarum esse partium omnino duximus, irrita atque inania declarare omnia, quæ aliquot ab hinc annis in isto Regno tuo, sive adversus Ecclesiarum ejusdem Regni, Personarumque, & Locorum Ecclesiasticorum Jura, sive aliâs adversus Romani Pontificis, Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque universæ autoritatem acta, gesta, & respectivè pronunciata fuerunt, quæque inde quomodocunque secuta, & secuta sunt, sicuti ex Brevis hac super re edito manifestè apparet. Quia verò nullis concluditur finibus charitas, quâ Majestatem tuam complexi semper fumus, & complectimur, susceptam à nobis perquam necessariam hujusmodi deliberationem hisce tibi significamus, effuso cum paterni cordis affectu, etiam atque etiam à te flagitantes, ut ipsam æqui, bonique habeas, ac ab universis prædicti Regni tui Ordinibus fideliter servari cures. Sanè ubi id præstes, quemadmodum à Filio suo primogenito præfata Sedes, & Ecclesia jure merito expectant, constantem tibi ab illo, per quem Reges regnant, secundorum eventuum faustitatem polliceri procul dubio poteris, dum nos sollicitudinem nostram firmâ hæc spe non parum levantes Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ &c. die trigesima Januarii 1691.

INNOCENTIUS DUODECIMUS,

PONTIFEX CCXLVI.

ANNO DOMINI MDCXCI.

Innocentius Neapolitanus, antea Antonius Pignatellus, in pauperes misericos, à suis alienissimus. Quamobrem Lateranense Palatium pauperibus curandis alendisque adscripsit, & Constitutionem edidit celebrem admodum, quâ Pontificum consanguineos Ecclesie bonis ditari interdixit. Ut Jus Romæ commodius redderetur, Tribunalia per Urbem dispersa unum in locum coëgit, Centumcellas Urbis Titulo donavit, Antium portum reedificandum curavit. Obiit anno 1700. Sedis Decimo (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 119. App.*)

Damnatio Libri Parisiis anno 1697. impressi, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure &c.* anno 1699.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum aliâs ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem produisse librum quemdam

ANNO
1691.ANNO
1691.I.
Ex Cal-
vorus
Hist.
Schism. p.
588.

Gallico

ANNO
1699.

Gallico Idiomate editum, cui titulus : *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure, par Messire Francois de Salignac Fenelon, Archeveque, Duc de Cambrai, Precepteur de Messieurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Auboin, Pierry Emery, Charles Cloussier. 1697.* Ingens verò subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor aded percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiae nostrae opem efflagitaverit; Nos eundem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, maturè, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porrò hi mandatis nostris obsequentes, postquam inquam plurimis Congregationibus varias Propositiones ex eodem libro exceptas diuturno, accuratoque examine discussant, quid super earum singulis sibi videretur tam voce, quam scripto Nobis exposuerunt. Auditis igitur, in pluribus itidem coram Nobis desuper actis Congregationibus, memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum Sententiis: Dominici gregis nobis ab aeterno Pastore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientiâ, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, librum prædictum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum; Quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tanquam continentem Propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attentâ sententiarum connexionem, temerarias, scandalosâs, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respectivè, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, recensionem, & usum omnibus, & singulis Christianis fidelibus, etiam specificâ, & individuâ mentione, & expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrascentes ipso factò absque alia declaratione incurrenda interdiximus, & prohibemus. Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque supradictum librum penes se habuerint, illum statim atque præsentis literæ ei innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque &c. Cæterum Propositiones in dicto librò contentas, quas Apostolici censurae Judicii, sicut præmittitur, consignandas duximus, ex Gallico Idiomate in Latinum versæ sunt tenoris, qui sequitur; Videlicet

I. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum, habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

II. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.

III. Id quod est essenziale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientiâ, præcautione, & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiori incipit aperire cor huic verbo; Quod aded durum est animabus adhuc sibi affixis, & aded potest illas scandalosâs, aut in perturbationem conjicere.

IV. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse; Exceptis iis occasionebus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

V. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut fimus perfecti, & beati propter interesse proprium; Sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas, impressione suæ gratiæ.

VI. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius Salutem, ut Salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

VII. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus à nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ Probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio, exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

VIII. Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quàm maximè desinteressatis, circa eam æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.

IX. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse, persuasione reflexâ, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se justè approbatam esse à Deo.

X. Tunc anima divisa à semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens: *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii, quoad æternitatem.

XI. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse: Sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis, & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.

XII. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.

XIII. Inferior Christi pars in Cruce non comunicavit superiori suas involuntarias perturbaciones.

XIV. In extremis probationibus, pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione: Nam totum, quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris.

XV. Meditatio constat discursivis actibus, qui à se invicem facillè distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitio amoris interessati.

XVI. Datur status contemplationis aded sublimis, adedque perfectæ, ut fiat habitualis; Ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

XVII. Animæ contemplativæ prævantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis, primò in fervore nascentis earum contemplationis; Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis Probationibus.

XVIII. In statu passivo exercentur omnes vir-

ANNO
1699.

ANNO
1699.

utes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitur, quam facere id quod Deus vult: Et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

XXIX. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & desinteressata, nec ipsum amorem velit amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus à nobis vult.

XX. In confitendo debent animæ transformare sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum; Non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

XXI. Sancti mystici excluderunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

XXII. Quamvis hæc doctrina esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata; Antiqui Pastores non proponebant passim multitudini iustorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

XXIII. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorē, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.

Non intendimus tamen per expressam Propositionem huiusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eadem præsentis literæ omnibus facilis innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter & auctoritate præfatâ decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiae generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, ita ut sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Norarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus Fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam sub anulo Piscatoris, die 12. Martii, anno Christi 1696. Pontificatus nostri octavo.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1696 Indictione septima, die vero 13. Mensis Martii, Pontificatus autem SSmi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Innocentii aeternâ providentiâ Pape XII, anno ejus octavo, si prædictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Magnæ Curie Innocentianæ, in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis urbis, per me Franciscum Perinum, ejusdem SSmi D. N. Pape Curjorem. Sebastian. Vatelus Mag. Curf.

Confirmatio, Innovatio, & extensio Constitutionis Alexandri VII. de datis, & promissis pro Justitia, vel Gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda: anno 1699.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sacerdotalem, & Rogiam Urbem nostram innumeris divinæ largitatis muneribus decoratam, quemadmodum inter omnes per universum terrarum Orbem Ecclesias sollicitudini nostræ divinitus demandatas peculiari affectu diligimus; Sic mundam, & immaculatam custodire satagimus, ac omni, quo possumus, studio laboramus, agnoscens profectò, quàm deceat, ut quæ per B. Petri Sedem Caput Orbis effecta est, exempla bonorum

operum in corpus omne diffundat; Ibi que potissimum charitatis, justitiæ, virtutumque omnium splendor effulgeat. ubi divinæ Fidei dispensantur oracula, & Christiani viger Sacerdotii Principatus.

Quoniam verò ejusdem Almæ Urbis, Romanæque Curiae decori nihil æquè videtur officere, quam si Justitiæ, Gratiæque negotia, quæ magno numero indies ex omnibus Catholicæ Ecclesiæ partibus ad Sedem Apostolicam deferuntur, non ea, qua decet, integritate, & ab omni procul avaritiæ suspitione expediantur; Propterea fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster nonnullorum Romanorum Pontificum, & signanter recol. me. Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. pariter Prædecessorum vestigiis inherendo, eorumque Apostolicas Constitutiones hac de re editas innovando, & ampliando, quasdam suas in forma Brevis desuper literas promulgavit, tenoris qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. Inter gravissimas, multiplicisque curas, quæ ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus commissi Nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut Justitiæ, & Gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam indies obtinentur, ea, qua par est, rectitudine peragantur, nec pernicioso cuiusquam circa illas excessu Romanæ Curiae existimatio ullatenus lædatur, sed ipsa Curia in omnibus præclara semper splendeat laude integritatis, & abusus quicunque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris simili Consilio providè sancita sunt, ut in posterum firmius observentur, innovemus, illaque declarem, & extendamus, prout in Domino arbitramur rationi esse consentaneum.

Dudum siquidem emanarunt à fel. record. Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris literæ tenoris, qui sequitur, videlicet: Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, sive sint familiares Curiae, sive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquid parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus, & plenariè non expressis, sive sub specialibus, & expressis aperte verbis quicquam dederint, aut receperint, magnum, vel parvum, vel promissionem de quacunque re, aut utilitate, propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua Justitia, sive Gratia pro se, aut pro alio in causis, vel Judiciis, seu aliis per literas Apostolicas, & quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, & Nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subjacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato) nostre absolutionis Beneficium valeat obtinere; nisi forsitan ad Nos habere accessum non possit in mortis articulo constitutus: nec etiam ad Absolutionis gratiam admitatur, nisi prius, quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Justitiam verò, sive Gratiam sic obtentam nullius prorsus esse momenti volumus; omnique statuumus carere effectu, & robore firmitatis.

Sed & scienter utentes ipsis simili sententia excommunicationis adstringimus, & reservantes No-

ANNO
1699.